DISSERTATIO PHILOSOPHI

AD VERBA P
GAL. III.

Ο ΔΕ ΜΕΣ

ΕΝΟΣ ΟΥΚ Ε

Ο ΔΕ
ΘΕΟΣ ΕΙΣ

QVAM

ADIVVANTE
RECTORE MAGNIFIC
SERENISSIMO PRINCIPE
D O M I N
GVILIELMO H
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIV
GARIAE WESTPHALIAE C
ET WITTGENSTEINII

PRAESID

PHILIPPO DAV. K
AVGVSTAN
PHILOS. MAG. ET SOC. LAT.
ANNO CIↃ IↃCC XXXVIIII. D
PVBLICE TVEBIT
AVGVSTINVS TH
BERNHA
IAVORIA - SILESIVS. SS. THE

IENAE, LITTERIS CRO

SOPHICO-EXEGETICA

BA PAVLI

III. 20.

ΕΣΙΤΗΣ

ΚΚ ΕΣΤΙΝ

ΔΕ

Σ ΕΣΤΙΝ

AM

NTE DEO

NIFICENTISSIMO

NCIPE AC DOMINO

I N O

O HENRICO

I CLIVIAE MONTIVM AN-

IAE COMITE SAYNAE

TEINII RELIQVA

SIDE

I. KRAEVTERO

STANO

C. LAT. MEMB. HONOR.

IIII. DIE APRIL.

TVEBITVR.

THEODOSIVS

HARDI


SS. THEOL. CVLTOR.

IS CROEKERIANIS.

Q. D. B. V.

PRAEFATIO.

Nondum elapsus est annus, ex quo dissertationem nostram de promissionibus Abrahamo, & inprimis semini eius factis in publicum emisimus; vbi vindicias loci Paulini Gal. III. 16. dedimus. Contigit tum, vt in versum Capitis eiusdem vigesimum incideremus: de quo Interpretes consulturi, ad vnum fere omnes aut de hoc loco desperare, aut minus cohaerentia tradere, aut, quae nonnullorum aurea dicta sunt, huic tamen loco parum conuenire deprehendimus. Limites spatii angustiores tunc non permittebant, vt nostra de hoc loco cogitata in medium proferremus. Quae tamen cum prorsus latere, nimium fortasse nobis blandi, vti solet genus mortalium, nollemus: proxima occasione nobis oblata promisimus maiori cura, quam factum esset alias, ea promere, quae ad illustre hoc oraculum euoluendum facere possent. Eo gratius ergo nobis accidit, cum Nobilissimus Doctissimusque Dominus Respondens, specimen nobiscum editurus, opportuno tempore, vt promissis liberari possemus, ansam hanc subministraret. Aliorum sententias in compendio sistere consultum iudicauimus; minime vero longius recensere, quod & ab hac nostra breuitate alienum esset, & alii optime iam fecerunt. Nec tamen actum nos agere, fatebuntur, vt spero, qui has pagellas legere ipsis indignum haud iudicauerint. Si acu rem tetigerimus doctorum iudicio, eo magis laetabimur, quo saepius quidem at iniustius disertissimum hunc scriptorem, Paulum appello, obscuritatis accusari videmus. Hanc maculam a diuinis eius libris abstergi, optabunt mecum omnes, qui religioni student. Nec dubium mihi est, alibi quoque successu eorum operam haud carituram, qui nulli studio, nulli iudicii vi parcere, nec praeiudicatis sententiis plus iusto indulgere instituent. Ita vale, mi Lector, atque conatibus meis vel tenuioribus vel audacioribus fauere perge.



SECTIO I.

Ea, quae v. 20. antecedunt, illustrans.

§. I.

CUm in omni interpretatione dicti alicuius ambigui hoc facile primo loco curandum sit, vt ea, quae praecedunt, probe perspecta, atque extra omnem dubitationis aleam sint posita: quae quippe rationem interpretationis subministrare praecipue debent, ex ipsis verbis, ambiguis, haud petendam: multo sane magis id obseruandum hoc loco nobis duximus; in quo omnis obscuritas aliunde haud pendet, quam quod verba, per se satis clara, neque secum inuicem nexu quodam, qui tamen arctissimus per verba apparet, neque cum illis, ad quae referuntur, iungi vllo modo posse videantur *.

§. II.

---

* Id quidem iam obseruauit D. HENR. WALTH. GERDESIUS in Dissertatione *de Christo, vnico Abrahami semine, cui absque vlla alia mediatione omnis κληρονομία ex promissione debetur*. Giessae 1723. habita. In cuius §. III. *eos*, inquit, *qui textum hunc crude & nude extra contextum, vt aiunt, considerant, forsan de difficultate & obscuritate loci haud magnopere conquesturos esse. Apertissima enim & notissima esse, mediatorem non esse vnius, sed inter duos, DEVMque*

§. II.

Quicunque vero vel primis, quod aiunt, labris Sectionem ex qua desumitur comma nostrum, degustauerit, fateatur necesse est, Paulum hic totum esse in eo, vt legem quamcunque ab opere iustificationis arceat. Quod cum ad finem Cap. II. aperte satis declarasset; iam Cap. III. ipsa profert argumenta, quorum mirifica varietate Galatas nescio, quo oestro perculsos, in veritatis viam non sine intimo animi adfectu reducere tentat. Primum idque grauissimum a dono Spiritus S. arcessit; v. 2-5. quod, cum illis obtigerit per auditum fidei, i. e. fidem ipsam * non vero per opera

 legis

que esse vnum, siue secundum essentiam, siue secundum voluntatem spectes. Et postea §. V. p. 9. recte monet, *peculiare hoc esse in textu proposito, vt, cum alii, in verbis obscuriores, ex comparatione antecedentium & consequentium lucem foenerentur, hic contra quoad verba ipsa in clarissimis habendus, quicquid est obscuritatis & difficultatis in eo, ex his principiis trahat, quae tamen ipsa in explicatione totius fundamenti loco ponenda erunt, adeoque e tenebris ipsis lumen exspectandum.* Haec verbis alienis efferre maluimus, quoniam per rem ipsam nondum patent. Nec nobis iam vacat demonstrare, locum hunc obscuritate quadam laborare, quam tamen omnes fere concedunt, vix detergenda. Minime quidem me fugit, Reuer. atque Doctissimum CHRISTOPH WOLLIUM in examine regularum hermeneuticarum August. Calmeti, p. 80. sua proposita sententia, fidenter pronunciare: *Nemini hic locus erit obscurus, nisi qui nouam ei lucem spondent. Horum enim mos est, vt rebus, quas alii, debitis instructi praesidiis, sole illustriores perhibent, nebulas prius adfundant, vt habeant, quas disiiciant tenebras.* Haec autem ita non esse, nec nos ferire, praestat ex ipsa tractatione ab aequis agnosci lectoribus, quam multis verborum plaustris hic a nobis iniungi, ne quis forte existimet, ac si leuiorem hanc operam nostram commendare ipsi vellemus.

* Fidem ipsam innui hac phrasi clarissime patet ex Ephes. I. 15.

Et

legis, quibus incubuissent forte antea, adeoque non nisi cum fide coniunctum sit: cum tamen porro idem illud non detur sine iustificatione, qua quippe demum filii DEI efficimur, Ephes. I. 5. 6. 7. in cuius rei testimonium signum & pignus Spiritus S. donum a DEO nobis concedatur: Rom. VIII. 16. hinc conficit ipsam iustificationem, quam demum consequatur illud donum sanctissimum, aeque non nisi cum fide coniunctam esse. Argumentum huc redit.

Quodcunque est medium doni Spiritus S. idem quoque est medium iustificationis. Atqui auditus fidei vel ipsa fides est medium doni Spiritus S. E. idem est medium iustificationis.

Quod argumentum eo magis stringit, quo magis donum illud spiritus signis externis atque δυνάμεσι virtutibus admi-

Et sane ad accipiendum Spiritum S. non sufficit, vt tantum audiamus doctrinam de fide seu Euangelium; requiritur amplius, vt ipsa fides per doctrinam auribus perceptam animo instilletur. Sic ἀκοὴ πίστεως commode exponi potest: auditus ex quo oritur fides, vel orta est Rom. X. 14. ERASMVS quidem in not. ad N. T. cura & impensis PETRI van der AA splendide editum, & quidem ad h. l. mauult verti: ex praedicatione fidei, quod tamen ipse ita explicat: ex fide, quam ex nobis audistis. Similis loquendi modus est, si non prorsus idem fuerit, vbi ὑπακοὴ πίστεως pro ipsa fide dicitur Rom. I. 5. XVI. 26. quod recte obseruauit Cel. WOLLIVS in not. ad BLACKVVALLI *auctores s. classicos defensos & illustratos* ab ipso ciuitate latina vere donatos p. 240. vbi docte etiam monet, quatuor esse phrases eiusdem potestatis I) ὑπακούειν τῇ πίστει Act. VI. 7. vnde ὑπακοὴ πίστεως. III) ἀπειθεῖν τουτέστι οὐχ ὑπακούειν τῇ ἀληθείᾳ, Rom. II. 8. vnde, ἡ ὑπακοὴ τῆς ἀληθείας. IIII. πειθαρχεῖν θεῷ Act. V. 32. ὑπακούειν τῷ Χριστῷ Hebr. V. 9. quae phrases omnes simpliciter credere; & substantiua inde petita fidem significent. Quae tamen absolute quoque voce ὑπακοή posita innuatur 1. Pet. I. 2.

admirandis tum ſeſe exeruerit, ad quas non fruſtra prouocatur v. 4. Vt vel experientiam ſuam ipſis contrariam eſſe Galatae peſtilentiſſimo errore abrepti, agnoſcerent. Sed altius totam rem repetit Paulus, atque ad ipſa principia legalis oeconomiae vltima adſcendit. Quae cum ab Abrahamo repeterent Iudæi, ille quidem ad ipſa vocationis primae eidem factae tempora procedit: ex ipſa eiusdem indole & primae promiſſionis verbis falſi eos arguens, qui vllam legem ad iuſtificationem neceſſariam ſtatuunt. Ipſe Abrahamus iuſtificatus eſt, antequam circumciſionis ſigno DEVS ipſum inſtrueret. Quod quidem argumento eſt, nec legem moralem, quae cum illa naturae eadem eſt atque tum ſola erat, iuſtificare illum potuiſſe. Sed & promiſſio nullam aliam viam quam quae per fidem eſt, munit: quin potius eandem recta demonſtrat. Id agit Paulus a v. 8. usque ad 14. quorum nexum vberius iam alibi * indicauimus.

§. III.

Nouum iam ex iisdem promiſſionibus argumentum exſtruit Paulus, vt propius oſtenderet, nec aliud de lege Sinaitica, ſtatuendum, quæ potiſſimum caerimoniis diſtinguitur, quae ipſae iam ſupponebant iuſtitiae ex lege morali impetrandae negationem: ad quod rite intelligendum neceſſario repetenda ſunt, quae ad praecedens loc. cit. diximus, hic vero lubentes praeterimus. Sumit autem Paulus promiſſionem ex Moſe Gen. XXII. 18. Oſtendit, ad Chriſtum eam pertinere, & per ſemen ibi promiſſum non aliud intelligendum, niſi monadicum: quod eſſet Chriſtus. Fuſius & haec alibi explicauimus. ** Iam legem ſinai-

* in Diſſ. de ſenſu litterali promiſſionum Abrahamo & inprimis ſemini eius factarum p. 27. ſ.

** Diſſ. cit. p. 47. ſ.

Sinaiticam comparat cum hac promiſſione tempore potiſſimum. Cum ergo lex Sinaitica ſit foedus (v. teſtamentum) multo poſterius promiſſione, ſeu foedere (v. teſtamento) gratiae, quo Abrahamum inſtruxit DEVS; hinc arguit: cum nullum foedus poſterius ne quidem apud homines & in huius ſeculi rebus poſſit derogare alii priori; nec legem illam potuiſſe derogare foederi (v. teſtamento) facto in Chriſtum, aut irritam reddere promiſſionem de omnibus benedicendis i. e. iuſtificandis per Chriſtum tanquam Abrahami ſemen. Cum v. ſi ex lege iuſtificatio petenda eſſet, vere per illam obrogatum eſſet promiſſioni; & lege ſub hac conditione poſita, ſublata promiſſio: quod tamen fieri nullo modo poſſit: hinc conficit ipſam illam hypotheſin ſub qua lex tolleret promiſſionem eſſe falſam, eſſe impoſſibilem. Ex lege itaque iuſtificationem non eſſe expectandam.

§. IV.

Sic iam recta via ducitur ad quaeſtionem illam de vſu legis. Cum enim DEVS nihil faciat fruſtra, nec adeo fruſtra legem dediſſe cenſendus ſit, ſed neceſſario finem aliquem intendiſſe; quem noſſe noſtra maximopere intereſt; merito de vſu ac fine legis illius Sinaiticae anquiritur. Quod quidem v. 19. docere inſtituit Doctor ille gentium grauiſſimus, his vſus verbis: *τί οὖν ὁ νόμος;* vel vt alii volunt: *τι ὄυν;* ſenſu fere eodem, quamuis communiorem merito praeferendam eſſe lectionem iudicet Ven. IO. CHRISTOPH. WOLFFIVS in curis ad h. l. *τί σὖν ὁ νό μος; τῶν, παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄχρις οὗ ἔλθη τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου.* Tantam operam in his verbis poſuerunt Viri Celeberrimi, vt nihil addi fere amplius poſſit. *

§. V.

* Inſtar omnium fere eſſe poterit Reuerendisſimus Academiae Tubingen-

§. V.

Vt tamen breuissima paraphrasi, quicquid hac de re dici posset, complectamur: haec mens Pauli nobis esse videtur. Ne propter retardationem promissionis de Christo, prorsus in auia delaberentur Iudaei in pessima quaeque proni atque durissimae ceruicis: DEVM promissione superaddidisse legem Sinaiticam omnem * ad prohibenda, coercenda atque redarguenda peccata eorundem, vel etiam vt *qualecunque* remedium & solatium eorum, qui de peccatis suis affligerentur. Ideo quippe legem moralem, normam illam actionum humanarum naturalem cordibus inscriptam, denuo ipsum promulgasse, vt ne cupiditatibus, apud illos, quod apud gentes fere factum est, sensim plane obliteraretur, sed eo viuidiori inhaereret memoria, atque eo certius, eo purius ad posteros propagaretur. Caerimonialem vero & politicam, vt grauitatem peccatorum eorumque poenas ob oculos poneret, symbola expiationis praeberet, ac promissionis spem in animis ipsorum continuo sustentaret, quin etiam, vt ad Messiae aduentum praepararet, & ordine omnia disponeret. Quae tamen lex per ipsum finem suum durare longius haud posset, saltem, vim suam damnantem atque exa-

bingensis Cancellarius, Dom. D. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, aut, si mauis, Vir Reuerendus, IO. ADOLPH. DEMAMAL, Ecclesiae Augustanae Diaconus hodie meritissimus in Diss. de legis diuinae Sinaiticae caussis, vsu, duratione & ministris ad Gal. III. 19. quae habita est Tubingae, An. 1729.

* Sunt, qui solam caerimonialem hic in censum venire volunt: sed fallere eos rationem, puto, ex ipsa re patere. Vt taceam; nullam reddi posse rationem, cur penitus excludatur lex moralis. conf. etiam THEOPH. ALETHAEVM Tom. III. der Erläuterung p. 512.

exactricem, diutius haud exercere, quam *donec veniret semen* illud promissum, *cui promissum est*, seu ad quod promissiones illae spectant, vbi DEVS edixit, fore, vt restitueret penitus ablatam iustitiam nosque DEO prorsus conciliaret. Interea vero, dum haec fierent, vt lex eo maiorem vim haberet, ideo ad terrendos animos refractarios tanta pompa *comitibus angelorum choris*, illam tradidisse, *mediatori*; quem constituisset populus, maiestate legislatoris perterritus atque tremulus, ne ipsi audirent verba Domini, atque forte morerentur. Hic vero Moses erat. Hinc arrepta occasione ex ipsa legis perferendae ratione & forma ad negationem finis cuiusdam alterius, qualis esset iustificatio, concludit; eadem opera comprobatum reddens, finem a se allegatum recte pro tali venditatum esse, & quidem cum exclusione alterius. Quod, quomodo procedat ex verbis, quae explicanda sumsimus, id iam paullo propius atque curatius inquiremus.

SECTIO II.

Qua variae Interpretum sententiae commemorantur.

§. VI.

Difficile videtur & taedii plenum inire numerum sententiarum, in quas de hoc commate scinduntur Viri vndequaque celeberrimi. Sed & praeterea inutile reputari posset, postquam Eruditissimus GERDESIVS * nullo

* Dissert. citatae not. §. I. Sect. II. p. 14 - 140. De qua ex merito iudicauit Celeb. HEVMANNVS: pulchrius exemplum talis historiae litterariae (quae scilicet singulis versibus sacri codicis incumbit) vix sibi occurrere. in via ad hist. litt. C. I. p. 10.

nullo non labore in hanc rem incubuit, quasi Iliadem post Homerum scribere vellemus. Et profecto, facile hac opera supersedere potuissemus: nisi potius commodum fuisset visum, ea, quae fusius tractauit Vir Celeberrimus in summam redigere, atque obtutu veluti vnico contemplanda sistere: nisi quod recentiora hinc inde addere nomina etiam constituerimus. Inprimis, cum pauci forte fuerint ex lectoribus nostris, qui scriptum doctissimum ad manus habeant. Sed & ipse GERDESIVS ansam huic Capiti praebuit iustissimam, in quo, ne labor noster plane superfluus haberi possit, sententiam ipsius modesto examini subiiciendam putauimus: cui alteram recentiorem Viri cuiusdam doctissimi cum dubiis nostris adiiciemus. Quin, cum modestia prohibeat, vnum me meam pro certa venditare sententiam; conueniens visum, alias aliorum praemittere, quo rectius lector aestimare possit, an mea illa reliquas aliquo probabilitatis gradu superet.

§. VII.

Optime vero laudatus GERDESIVS, vt eo melius fluxae succurreret memoriae, dissentientes in tres classes distribuit. *Prima classe* illos collocat, *qui μεσίτην in loco nostro Christum esse volunt.* Quorum quidem aliqui CHRISTVM pro subiecto specifico versus 19. aeque ac 20. venditant: alii vero tantum versu 19. Christum, versu autem 20. eundem relatiue tantum, specifice vero mediatorem quemcunque innui dicunt: alii denique versum 19. de Mose explicandum, versu autem 20. CHRISTVM Mosi contradistingui putant, ita, vt hic sit oppositio mediatorum vtriusque Testamenti. Nominibus hisce, quae magno recenset numero pag. 15. sqq. adiungendus est ex recentioribus Venerandus IO. CHRISTOPH. WOLFFIVS in curis Philologico-Criticis Vol. III. p. 735. Iam, qui has

tenent primas partes v. 20. communiter sic explicant: Mediator non est vnius, sed plurium aut saltem duarum partium. * Alteram vero partem: ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐστιν, vel de vnitate essentiae; ** vel de vnitate voluntatis, quod scilicet secum optime conveniat DEVS; *** vel vtraque ratione, sic: DEVS, quia natura vnus est, non potest a se ipso dissidere: **** vel tandem, referentes propius ad comma praecedens: *DEVS vnus est ex illis, sc. vna pars:* * vel *erat unus tamen verus ille DEVS.* WESSELII ** peculiaris est explicatio: qui pro vna habens enunciatione ita vertit: *Mediator vnius non est, sed ipse DEVS vnus est.* EVSEBIVS de hoc loco agens Arrianismum multis sapere videtur. Set praestat ipsum legi in libris contra Marcellum L. I. C. I. & addi GERDESIVM p. 73. &c. Qui mox PHOTII sententiam parum probabilem addit, ex cuius mente

* Ita ex Veteribus THEOPHYLACTVS: ad h. l. CHRYSOSTOMVS, in h. l. Tom. V. Opp. OECVMENIVS in h. l. AVGVSTINVS in exposit. epistolae ad Galatas, alii. Ex recentioribus LVTHERVS quondam in Comment. ad easdem; qui tamen postea mentem mutauit, & in glossa marginali de Mose exposuit: CALOVIVS in Bibliis Illustr. HEINSIVS in Exercit. S. p. 422. HEDINGERVS ad h. l.

** Ab his partibus stare dicuntur CHRYSOSTOMVS, AVGVSTINVS; ex recentioribus HEINSIVS. Adde IOH. MICHAELIS notas Crit. & Exeget. in N. T. Rostochii cum praef. IO. FECHTII Anno 1706. editas p. 132. 133.

*** Hanc sententiam elegerunt LVTHERVS in h. l. atque PAREVS in Comment. ad h. l.

**** BVLLINGERVS in Comment. ad h. l. hanc interpretationem suam fecit.

* OECVMENII haec est, quam tanquam communem explicationem laudat & nomine aliorum explicat PAREVS. Huc etiam spectat Rev. WOLFFIVS in curis ad h. l.

** In dissertat. S. Leidensibus. Diss. XIV. de mediatore non unius, sed ipso DEO vno p. 454. sqq.

mente id vellet Apostolus: *Mediator est non vnius* sc. legis tantum: *nam duo sunt (Lex & Evangelium) quae mediatore opus habent. Sed DEVS & Mediator vnus & idem est ille vtriusque.* Sunt, qui credunt, Paulum hic nihil aliud innuere voluisse, quam: Christum mediatorem duarum esse naturarum. *** De qua sententia libere pronunciat DV BOSCIVS, eam omni bono sensu carere, & scopo Apostoli plane non conuenire. Alii diuersitatem ac pluralitatem populorum, quibus Christus mediator est, ista ratiocinatione Apostolica innui existimant. **** Tandem LVTKENIVS in Colleg. Bibl. p. 211. itidem de Christo explicans ita tradit: Is autem mediator (de quo v. 19.) *non est mediator vnius illius κατ' ἐξοχὴν talis*, cuius sanctitas immutabilis. *Vnus autem ille* (cuius scil. mediator non est) *DEVS est.* Nostrum iam non est, singulas pluribus expendere. Paucis monemus, illos, qui v. 19. Christum intelligi autumant, Analogiam Scripturae negligere, quae Christum tantum vt mediatorem N. T. repraesentat, vt alia taceam. Reliquas vero sententias partim coactas, nec verborum structurae, nec genio linguae accommodatas esse; & praeterea id, quod caput causae est non tangere, h. e. nexum naturalem & aptum haud ostendere: vti cuiuis meditanti patebit, ita prolixius summaque cura ostendit ille GERDESIVS, cuius operam hic saltem in compendio damus.

*** Ex recentioribus eo digitum intendi putat FRANC. WOERGERVS in Oedipo S. Lubecae 1675. 8. edito p. 32.

**** Ita ex antiquioribus THOMAS DE AQVINO: e recentioribus CALVINVS & GOMARVS: quibus quod ad rem ipsam accedunt BEAVSOBRIVS ET LENFANTIVS ad h. l. nisi, quod v. 19. Mosen mediatoris titulo insigniri concedant.

§. VIII.

Ad *classem secundam* illi pertinent, *qui Mosen nomine μεσίτου indigitari statuunt*, quorum prolixam mentionem facit GERDESIVS p. 91. sqq. Addendi tamen illis iam sunt summe Rev. HAGMAIERVS differt. ad h. l. Tubingae 1719. habita. THEOPH. ALETHAEVS Tom. III. der Erläuterung p. 516. & doctiss. WOLLIVS, de quo tamen mox pluribus. Diuersas & hi rationes sequuntur. Quamuis in eo conuenire obseruentur plurimi, *vt e natura mediationis dualitatem partium vniendarum h. l. inprimis vrgeri censeant: non vno tamen sensu & modo scopo Apostoli dicta accommodant, nec eadem ratione connexionem cum antecedentibus & consequentibus exponunt.* Quidam postquam membro *I ex partium dualitate inimicitiam inter DEVM & hominem arguerunt*, non nisi mediatoris ope tollendam: altero membro *vnitatem moralem & voluntatis in DEO* potissimum vrgent, ideoque vel ita iungunt priori, *vt DEVM mediatore non egere dicant, cum nec alius sit praeter vnum, nec dissideat a se ipso: sed nobis tantum opus esse:* * vel, *vt DEVM esse vnam partem e duabus,* ** adeoque mediatorem inter DEVM & homines fuisse; speciatim DEVM *partem laesam fuisse*, non laedentem; adeoque *causam* dissidii prius memorati *in homine* potius quam DEO quaerendam, *** ex mente Pauli.

* LVTHERVS, BRENTIVS, FLACIVS, WOCKENIVS alii hanc in sententiam citantur, quibus adnumerandus ALETHAEVS loc. cit.

** MVSCVLVS, Comment. in h. l.

*** NORTONVS KNACHTBVLLVS, in Animaduers. in N. T. p. 113. ex versione, quam laudat, Aethiopica, & PRZICOVIVS. Huc etiam refero B. ZELTNERVM in annotat. ad Biblia Germanica ab ipso edita p. 202. vbi sic: GOtt aber ist der eine: Die eine Parthey.

li, vti videtur ipsis, pronuncient. Vel *immutabilitatem* DEI inde deducunt, tum in seruandis promissis de iustificatione per gratiam non obstante dissidio perlegem eiusque mediatorem indicato, **** tum in irae manifestatione erga transgressores. ***** HVNNIVS & ERASMVS SCHMIDIVS totum hoc comma pro descriptione officii mediatoris & naturae mediationis habent; ita, vt PAVLVS v. 19. MOSIS mediatoris *vnitatem* v. 20. *partium*, inter quas egit, *dualitatem* cum DEI *vnitate* indicet, aeque ac alias de Christo Mediatore N. T. 1. Tim. II. 5. SCHOMERVS, qui tamen recenset potius, quam definit, HAMONDVS & CRELLIVS totum hoc comma tanquam nouam obiectionem continuatam in versu 21. ibidemque solutam habent, * vel idem obiectioni responsionem iungere putant

they. Also muß nothwendig folgen, will Paulus sagen, daß die andern das Volck gewesen, und solches noch nicht durch das Gesetz die Versöhnung erlanget habe. Dieweil man sonst, wo alles einig und verglichen keines Mittlers bedurfft hätte, folgbar das Gesetz, dieweil dabey der Zorn GOttes, und die Feindschafft noch geblieben, die Versöhnung mit GOtt nicht geschaffet; sondern der, auf den die Verheisung gezielet, und also das Gesetz eine andere Absicht als die Versöhnung, wovon Rom. III. 20. VII. 7. und hier v. 19, gehabt habe.

**** PERKINSIVS ad h. l. GROTIVS, CAPELLVS.

***** BEZA annot. in N. T. BALDVINVS in hypomnematibus apostolicis ad h. l. CALIXTVS, comment. ad h. l.

****** Laudatur in hanc rem PISCATOR ad h. l.

* Huc etiam referri poterit Cel. OEDERVS in Diss. ad h. l. & in Syntagm. p. 644. &c. qui obiectionem a v. 19. incipit: atque vt hoc eo melius procedat, verba (τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄχρις ὗ ἔλθη τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται) parenthesi includit: contra quem pluri-

tant. LOCKIVS ** ad naturam pactorum, quae fiunt inter duas partes & iura partium mutua prouocat, ad ostendendum, cur lex non possit tollere promissionem. CORNELIVS A LAPIDE ad h. l. oppositionem inter mediatorem & DEVM notat in eo, quod ille *duorum* sit, DEI scilicet & Hebraeorum, non autem Christianorum: hic autem vnus, non duo. Alii hunc versum pro descriptione Mosis mediatoris habent, *secundum virtutem vniendi* vel DEVM *& homines, vel populos inter se,* collati cum mediatore N. T. quorum quippe neutrum efficiat Moses, quamuis DEVS tum SECVM vniri velit homines, tum respectu *populorum omnium* eadem ratione sit animatus. *** ESTIVS Pontificius, & ex Reformatis praecipuus AMYRALDVS in hoc commate *praerogatiuam Euangelii* promissione declarati *prae lege* adstrui censent; quod scilicet haec disposita sit per angelos, illud a solo DEO immediate pendeat. ADAMVS SASBOVTVS in prima parte textus nostri MOSIS in scitis suis mutabilitatem, sed in secunda DEI IMMVTABILITATEM proponi autumat. HVLSIVS Mosen *non vnius foederis*, nempe legis, sed etiam *promissionis* mediatorem hic vocari, pronunciasse fertur. SEBAST. SCHMIDIO Moses hic audit mediator, non vnius DEI,

pluribus WOLFFIVS in curis ad h. l. Quod restat, hi nonnihil accedere videntur ad nostram sententiam inferius proferendam. Sed diuersitatem ipsa docebit comparatio.

** In comment. ad h. l. quem a CLERICO in Bibl. Sel. Tom. XIII. p. 79. & alio Auctore Anglo Anonymo refutatum esse, ex WOLFFIO ad h. l. saepius iam nominato discimus.

*** IO. CONR. DIETERICVS in Antiquit Bibl. quem sequitur BREITHAVPTVS in animadvers. exegeticis & dogmatico-practicis priorem interpretationem probat. Posterior est COCCEII & sequacium.

DEI nempe *caussa*, qui sit *immutabilis*. Est, qui vocem: ὁμεσίτης de vero Mediatore explicat, qualis non fuerit Moses, qui intercessor populi tantum fuerit, minime vero causam DEI apud homines egerit: qui tamen altera pars dissidentium sit. Sed ohe iam satis est opinionum secundae classis. Quae, si accurate ponderentur, vel non satis firmis hypothesibus niti; vel contortas vocum significationes comminisci; vel concatenationibus vti arbitrariis, e longinquo maxime petitis, nec quicquam ad Pauli scopum facientibus; vel aliis modis peccare deprehendes. Omnes sane aliquem inter cogitationes SVAS nexum; quamuis & hunc saepe leuissimum, produnt: quomodo vero verba Pauli, atque his subiectae cogitationes nulla vi adhibita iungantur & secum inuicem plana ratione, & cum tota Pauli oratione, id quidem frustra ab illis requisiueris. Tanto studio eam causam egit GERDESIVS, vt nobis otiosis hac in re esse liceat.

§. IX.

Omiseram §. praec. PETRI DV BOSCII sententiam; ea quidem de causa, quoniam pluribus agere de eadem constitui; quam quippe eandem agnoscimus cum illa Celeb. WOLLII, qui sole clariorem existimat. * Summa explicationis eius in hoc consistere Gerdesio dicitur, vt e natura partis humanae, de qua h. l. agitur, cognoscatur, de quo mediatore loquatur Apostolus. Sensum loci du Boscius hac Paraphrasi ex sententia sua explanat: *Mediator huius legis, non est istius seminis, quod vnum vocauimus, quia omnes in terra populos vnit per fidem, sed DEVS; qui Abrahamo & semini eius promissiones dedit, vnus est DEVS omnium, gratia ipsius inter credentes nullum discrimen statuente,*

* Conf. not. §. 1. huius diss.

te, Filioque in carne sua inimicitiam legis praeceptorum abolente, vt duos, Gentiles & Iudaeos, in vnum nouum hominem crearet, pacem faciens. Haec DV BOSCIVS. ** Cel. WOLLIVS *** eadem fere ratione inquit: Ὁ δὲ μεσίτης, *ita pergit Apostolus*, ὐκ ἔστιν ἑνός, *id est: Hic vero mediator MOSES non est unius illius seminis mediator.* Et paulo post: MOSES *populi tantum Iudaici mediator erat.* Ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐστιν, *DEVS vero vnus, i. e. Iudaeis atque gentibus in N. T. placatum se praebet. Hinc omnino consequens est, vt & μεσίτης ἑνός, mediator illius mystici VNIVS Iudaici nimirum & olim profani populi esse debeat. Alioquin DEVS propitium se vtrique genti exhibere non posset.* Pace clarissimorum nominum horum liceat candide, quae dubia occurrunt, exhibere. Praeter relationem immediatam τῦ ἑνὸς ad vocem σπέρμα, quam quidem possibilem esse WOLLIO lubentes damus, variis hypothesibus niti videntur vix admittendis. Prima est: v. 16. aeque ac 19. σπέρμα mysticum intelligendum, siue ecclesiam, quatenus omnes credentes in Christum sine omni discrimine complectitur. Si quicquam dici potest durum, hoc profecto est: quod argumentis, vt puto, haud reuincendis demonstratum est a nobis * alias: idemque hoc pluribus iam fecisse video GERDESIVM p. 121. Altera hypothesis spectat ad vocem εἷς, quam ad diuersitatem populorum referri, & aequalem erga omnes amoris

** Hic mentem hanc suam exposuit in epistolis vitae ipsius adiectis, quarum vna ad nobilissimam foeminam DE LA SVZE scripta, p. 517-540: indeque recensetur in Actis Eruditorum Lips. 1694. p. 184. sqq. Rev: WOLFFIVS saepe iam appellatus in curis quandam concionem earum memorat, quae Gallice extant.

*** Confer hic ipsius Examen regularum hermeneuticarum AVGVST CALMETI p. 79.

* Diss. de sensu litterali &c. C. III. §. XLVIII.

moris affectum importare volunt. Afferuntur in hanc rem loca Pauli Rom. III. 29. 30. 1. Cor. VIII. 4. 5. 6. 1. Tim. II. 5. Quam bene, hic non disquirimus. Sufficit notasse, si quoque huc omnia illa facerent adducta loca, in illis quidem sonoris verbis hunc respectum indicari: in nostro vero nec vola extat nec vestigium. Gratis adeoque obtruditur. Et tandem quid haec, optime alias dicta, ad hunc locum? quid ad scopum Pauli? Probare hic vult, vsum legis esse tantum paedagogicum, hinc maximae ex parte aliquando desiturum: minime vero iustificare, quae gloria soli semini monadico sit relicta. An vero sequitur: Quoniam Moses, qui legem tulit, populi tantum Iudaici mediator extitit, DEVS vero vult omnes saluari atque adeo iustificari: E. lex non iustificat. Vtique dicis: quia sic lex solis Iudaeis promulgata est, minus vero gentibus. Legem ergo non iustificare posse inde arguis, quod iustificatio sit commune bonum, lex vero medium non commune. Atqui vero, sic vitiosum circulum commisisset Paulus. Id enim est, de quo quaerebatur, an non lex etiam spectaret ad gentes, quae, etiamsi DEVS populo Iudaico praerogatiuam temporis quod ad agnitionem eius concesserit, eamque primum *ipse* illis dederit; obligari tamen posse videbantur per promulgationem mediate factam per populum Israeliticum atque Iudaeos. Difficultates huic interpretationi propriae (de ambagibus nihil dicam) tantae sunt, vt, nisi iusto faciliores esse velimus, assensum vix cuiquam extorquere possit.

§. X.

Magis consentanea tradit, si quid iudicando assequi possum Reu. GERDESIVS, vbi Sect. III. diss. saepius laudatae propriam opinionem cum argumentis sistit. Qui, dum

in eam concessit sententiam per *μεσίτην* intelligi Mosen (quocunque vero sensu perinde ipsi est) per vnum vero, *σπερμα* illud de quo v. praec: quodque vnicum esse, iam supra v. 16. Paulus demonstrauerat: ita iam comma totum explicat. Hic vero mediator non est mediator vnius *seminis scilicet*, cui promissum v. 16. & 19. *Nam* DEVS vnus est. Liceat & hic nobis libere, quid videatur, proloqui. Et quod ad primam quidem interpretationis huius partem attinet, aliquando nos prorsus consentientes habuit: sed re accuratius pensitata atque profundius rimata variae menti se obtulerunt dubitandi rationes. Totius explicationis fundamentum in ea ponitur hypothesi, *quod hic Moses comparetur in officio suo mediatorio legis promulgatae, cum Christo, semine monadico secundum ius κληρονομίας ex promissione spectato.* Quo quidem respicere videtur ad v. 18. vbi dicitur: Ει γὰρ ἐκ νόμου ἡ ΚΛΗΡΟΝΟΜΙΑ, ουκ ἔτι ἐξ ἐπαγγελίας. Ast hic non de iure κληρονομίας seminis monadici agi videtur, sed potius de κληρονομία fidelium, quatenus haec iustificatione innititur. conf. v. 29. & quae forte infra ad eundem dicentur. Vnde ergo hic comparationis terminus? Ipsam iam Pauli *thesin* hanc esse ait: Moses non fuit mediator huius seminis, ex quo prono fluat alueo: Ergo nihil potuit iuri ipsius derogare, cum plane non pertineat ad ipsum. *Argumentum* vero *primum* in eisdem verbis: ὁ δε μεσίτης ουκ ἔστιν ἑνὸς contineri putat implicite, atque hoc esse. *Quia unum est. Vbi vero vnus haeres ibi nullo opus est mediatore, cum nulla lis, nam nullae sunt partes, de haereditate adeunda oriri possit.* Hoc quidem valeret argumentum, si Moses *in stricto significatu mediator* diceretur. Ast, quidni per *internuncium* haereditas indubia adiri posset? Quin tota res ad scopum Pauli, qui, aduentante semine legem abrogandam esse docet, parum facit. Neque enim, qui hoc negabant, facile ex eo rationes suas petierint, quod Moses fuerit internuncius seminis, quin potius ipsum

ipſum ſaltem ex parte pro ſemine illo promiſſo habebant, de quo paullo poſt pluribus. Caeterum ellipſin, nominis σπέρματος quam explicationis haec prima pars inuoluit, etſi non prorſus non admittendam dixerim; duram tamen ſi vocauero, haud me aberraſſe puto. Ellipſis enim non facile admittenda, niſi vel familiari vſu alias iungatur id, quod latere iam volumus, vel neceſſario atque per ſe ſit ſubintelligendum. Nihil vero tale hic deprehendes. Et quamuis v. 19. legatur illud nomen: hic tamen nullum ſignum obſeruatur, quod neceſſario iſtud inde nomen repetere iubeat. Imo, ſi determinate ſemen illud monadicum voluiſſet Paulus, ſine dubio articulum addidiſſet τοῦ ἑνὸς, vti e. g. 1. Cor. XII. 12. τοῦ σώματος τοῦ ἑνός.

§. XI.

Iam ſi ad alteram quoque huius interpretationis partem attendamus, quae in verbis ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν occupata eſt, quae quidem *Argumentum ſecundum* explicitum theſeos memoratae ipſi ſuppeditare videntur: non minus dubios nos haerere profiteri debemus. Non iam dico, argumentum *princeps* ex ipſa eius ſententia *implicite* tantum haberi, *minus* vero *princeps explicite*, quod leuiorem mouere poteſt ſuſpicionem. Ipſam potius huius, quod dicitur, argumenti naturam conſiderabimus. Tum ex *vnitate eſſentiae* diuinae, tum ex vnitate *voluntatis diuinae* deduci poſſe Vir doctiſſimus exiſtimat. Ex *vnitate* quidem *eſſentiae*, quoniam filius cum Patre ſit eiusdem numero eſſentiae: inter DEVM vero & DEVM nulla intercedere poſſit mediatio, cum iſta non ſit vnius. Sed, vt & hoc praetermittam, vim huius argumenti non adeo apertam eſſe, quid hoc ad rem praeſentem, cum id probandum ſit, quod Moſes non fuerit mediator ſeminis, *qua talis*, & quidem inter DEVM & homines. Confundi tamen hic iterum videtur internuncius cum mediatore ſtricte ſic dicto, ſeu inter-

tercessore. Aliud adhuc est, quod obuerti posset. Cum hoc argumentum supponat venerandum Trinitatis mysterium, & diuinam Seruatoris naturam, ipso. GERDESIO fatente: cuilibet iudicandum relinquimus, quo iure eodem vsus esset Paulus, contra Iudaeos aut Iudaizantes, quibus sane tum etiam haec maxime inuisa fuerunt. Vnitatem *voluntatis* melius forte ad mentem Pauli vrgere aliquis posset: quod scilicet promissio DEI de seruando mundo facta Filio, atque acceptio ex parte huius sit immutabilis. Sed cur saepius iam inculcata v. 16. 19. repeteret Paulus? & id quidem verbis obscurioribus, cum antea clarissime enunciaverit. Quis enim negabit, hanc cogitationem *DEVS non potest mutare id, quod semel promisit*, obscurius exprimi his verbis: *DEVS vnus est?* Tandem, particulae δὲ significatus illatiuus, praesertim in ἀποδόσει, qualis hic necessario Ipsi statuenda, & praecedente alio δὲ non adeo certus est, atque extra omnem dubitationis aleam positus; * cum proprie aduersatiuam potius vim habeat, aut, si partes adsint orationis, eas indicet, quin etiam simpliciter connectat. Quae cum ita sint, nemo

* Praeclare equidem noui VIGERVM in elegantissimo libello, *de praecipuis Graecae dictionis idiotismis*, aut, quod rectius diceres, idiomatibus hanc significationem particulae δὲ tribuere. Ast idem ille Poetis inprimis relinquit. In soluta oratione rarissime saltem occurrere prae se ipse ferre videtur, cum, quasi singulare exemplum afferat illud Demosthenis Olynth. 3. τοῦτ' οὖν δεῖ προσεῖναι τα δ'ἄλλα ὑπάρχει. Vertit autem: *Hoc igitur accedat necesse est:* NAM *caetera quidem adsunt.* Sed hac versione non videtur opus: cum ex mente Demosthenis aduersatiua vis huic loco belle conueniat; qui τὰ ἄλλα opponit τούτῳ in eo, quod alia iam adsint, hoc vero demum accedat necesse sit. Adducunt nonnulli locum 1. Tim. III. 5. Sed & hic potestas aduersatiua commode retinetur: inprimis cum parenthesi sit includendus ille versus totus.

mo nobis, vt spero, vitio vertet, quod ab Auctore huius sententiae doctissimae hic discedamus. *

§. XII.

Satis iam de *classe secunda* actum, quae, vti sententias maxime speciosas suo comprehendit ambitu, ita diligentiori digna tractatione visa fuit. *Tertia classis* iam superest, paucis tangenda, eorum quippe, qui de Christo & Mose simul explicant locum nostrum, numero paucorum. In duas tantum a se inuicem discedunt partes. Alii enim de quouis mediatore loqui Apostolum, Christumque & Mosen inter se conferri existimant, LVTHERO denuo praeeunte, ** qui quidem suas ita subducunt rationes, vt Christum aeque ac Mosen *non vnius*, sed *duarum partium* dissidentium *mediatorem* vocari statuant; DEVM autem *vnum* dici, quia mediatore non egeat. Contra quos CALOVIVS vrget, haud facile duplex idque diuersissimum subiectum vna eademque voce indicatum admitti posse. Alii *duplicis foederis duplicem mediatorem* hoc loco indicari volunt; quam in rem citantur IOH. CAMERO in myrothecio & CLERICVS ad Hammondum. Quorum prior ita textum nostrum explicat: mediator est non vnius *tantum sed & alterius foederis*, h. e. *Duplex est mediator, Legis, qui Moses, Euangelii qui Christus.* DEVS

* Excepisse etiam nonnulla contra GERDESII opinionem Hoffmannum in Biblioth. Lubec. Vol. V. p. 46. sqq. memorat Summe Rev. WOLFFIVS in curis ad h. l. Sed, quemadmodum ipse vtrique caussam hanc amplius disceptandam permisit, quod quippe se facturum in ampliore, quam parat, commentationis suae editione doctissimus GERDESIVS promisit; ita & nos sicco eadem pede praeterimus, cum Bibliothecae eius copia nobis haud sit facta.

** LVTHERVS in Commentario vltimo de anno 1538. ad h. l. GEORGIVS MAIOR Tom. I. Opp. NICOLAVS HEMMINGIVS in Comment. in Epistolam ad Galatas ex Luthero sua irrigarunt arua.

DEVS autem vnus eſt h. e. *vnum eundemque ſcopum conſtituit in vtriusque foederis pactione*. Poſterior loco foederis ſubintelligi mauult πϱάγματος ἤτοι εὐαγγελίου: & phraſin ἑνὸς οὐκ ἔςι accipit pro: *vnus non eſt* contra genium linguae. De his vero liberum lectori relinquimus iudicium.

SECTIO III.

Propriam huius dicti interpretationem ſiſtens.

§. XIII.

IAm vero inſtituti ratio eo nos vocat, vt ipſi noſtram proferamus ſententiam, eamque probabilitate ſua non deſtitui commonſtremus. Nemo vero crediderim tam ab omni humanitate erit alienus, vt nobis hunc conatum noſtrum vitio vertat, quaſi poſt tot tantorumque Virorum labores fruſtraneos meliora docere ipſi praeſumamus. Abſit hic faſtus a nobis. Nolumus quicquam detractum maximis eruditi oribis luminibus, quae huic rei declarandae operam dederunt. Nec ullam mihi gloriolam exinde captare cupio: niſi forte, vt Amici iudicent, nos ingenuo animo in veritatem vtilem inquiſiuiſſe, atque in eadem perueſtiganda non tam auctoritatibus quam ipſa re ſtetiſſe: quam quidem aucupari non tantum licitum putamus, ſed & rei litterariae inprimis proficuum atque neceſſarium. Non ergo contemnimus alios. Non noſtra tanquam ex tripode dicta proferimus, quin potius aliis examinanda, atque ſi viſum ita fuerit, expolienda & conſummanda modeſte tradimus.

§. XIV.

Vt vero eo melius diiudicari poſſit, quomodo tota res inſtituatur, praelibabimus principia quaedam generalia,

ralia, ad quae in dissoluenda hac difficultate respiciendum putamus. Cum omnis difficultas hic non oriatur ex verbis per se spectatis, sed exinde potius, quod nexus eorundem & inter se & cum antecedentibus aeque ac consequentibus haud pateat: ipsa vero, quae explicamus, verba duabus absoluantur propositionibus: eo vtique allaborandum, vt vtriusque nexus ab vtraque parte manifestus euadat. Qua de re generales has praeponimus regulas: I. *Quicunque nexus est planus atque naturalis, ille praeferendus est difficiliori atque coacto.* Cum vero nexus immediatus semper sit planior mediato; & mediatus ipse, quo propinquior eo planior: hinc iam consequitur, *si eadem verba duplicem habere possint nexum possibilem, immediatum, si quis per ipsa verba detur, praeferendum esse mediato; & mediatum propinquiorem, eidem remotiori.* Non longe argumenta in hanc rem petenda censeo. Si nexus sit mediatus, latet aliqua propositio, eoque ipso lectori non omnia statim clare proponuntur. Hinc, quo plures deficiunt propositiones, quae principiorum locum obtinent, eo plura latent; eoque minor adest claritas, quae tandem in obscuritatem degenerare potest. Cum vero praecipua virtus Scriptoris, inprimis S. sit perspicuitas, & quanta quidem possibilis, opposita obscuritati: patet iam, quo propinquiori nexu per explicationem aliquam cohaerere dicta sacra demonstrari possit; eo probabiliorem esse eandem, atque si caetera rite se habeant, certam. Sed, quod paucis monemus, ex dictis nostris, nemo eliciat velim, nexum mediatum claritati simpliciter officere; quod inuita fieret Minerua; cum potius, vbi propositiones latentes erui possint facile, consultum sit sine detrimento claritatis breuitati studere.

§. XV.

II. Alterum quod praeponimus est: *rationem nexus*

inter dicta sacra, non tam ex signis distinctionum in N. T. obuiis, quam ex ipsa re esse peruestigandam atque diiudicandam. Quamuis non negemus, praeclaram haec signa adferre vtilitatem ad nexum *facile* perspiciendum, nec temere ac sine vlla necessitate ab iisdem recedendum existimemus: cum tamen haec signa, qua talia, sint ab hominibus profecta, quod Critici ostendunt, * non inuita ratione, ex qua non videtur Spiritus S. id quod per rem ipsam attento atque diligenti lectori iam patet ab eodem traditam, alia insuper ratione significare voluisse: profecto haec signa non tanquam principia interpretationi substerni possunt, sed in auxilium tantum adhibenda, atque per rem ipsam sunt confirmanda. Multo vero minus sectiones illae vel maiores vel minores, has versus vocant, illas Capita, in censum venire hic possunt; quarum Auctores nouimus. **

§. XVI.

Fundamentis sic positis, vt ad rem ipsam propius accedamus, lubentissime in easdem consentimus leges, quas sibi praefigendas duxit Gerdesius, *** quatenus iisdem non adversantur. Eam igitur quaerimus loci nostri expositionem, eum sensum, qui 1) *& fundamento generali, totius ratiocinationis Apostolicae innitatur, & ad vindicandam thesin generalem inde deductam faciat*: 2) in specie eum, *qui verum vsum & auctoritatem ferendae legis indicet, atque nec funda-*

* Sufficit nominasse CLERICVM Art. Crit. P. III. Sect. I. C. 10. qui inprimis ad antiquissimos codices sacros prouocat, hisce signis destitutos. Quod si vero a Spiritu Sancto ea accepissent tradita Veteres, profecto sine religionis violatione haud neglexissent.

** Confer saltem HEVMANNVM in via ad hist. litt. C. III. §. 15. p. 45. s.

*** Diss. cit. p. 9. sqq.

fundamento nec thesi suae generali aliquid praeiudicii vel damni inde inferri ostendat. Haec ipsa antecedentium quae vocant ratio, quaeque Sect. I. vberius illustrauimus, postulat, atque ex sumtione nostra prima sponte fluunt. Quod vero ille ad ipsum textum obseruandum praecipit, vt 3) *membrum vnum ita explicetur, ut cum altero ratione argumenti aut vi argumentandi ad vnam conclusionem cohaereat,* id *aliter* admittere non possumus, quam si demonstratum prius fuerit, ambas textus nostri propositiones vt membra vnius propositionis considerandas esse, vel vt praemissas eandem conclusionem producentes. Namque in re ancipiti nihil tale praesumendum, aut fide eorum, qui sectiones istas minores aut distinctionum signa addiderunt, asserendum esse, ex praec. §. elucet. Iudicet lector aequus, cum nostram expositionem legerit, an non hic fons obscuritatis vulgo huic loco obiectae lateat. Aequum est, quod loco 4) postulatur, vt si nexus ille concipi nequeat, nisi suppleatur aliquid, *haec suppletio non nisi ex antecedentibus petatur:* quod omni genuinae probationi, qualis haec est Apostoli, commune deprehenditur. Ipsam vero explicationem 5) *cum simplicitate & proprietate verborum convenire debere* ipsa clamant prima Hermeneuticae principia, non minus, quam vt 6) *analogiae Scripturae & fidei sit consona.* Sed & 7) ex eadem explicatione *transitus quidam naturalis & concinnus ad sequentem obiectionem pateat* necesse est; cum ipsa eius proponendae ratio ad praecedentia remittat, indice particula οὖν v. 21. & praeterea 8) *principia subministret ratiocinio in sequentibus prolato:* quoniam omnes Paulinae orationis partes catenae in modum copulatae merito creduntur.

§. XVII.

His praemissis, ad ipsum scopum inoffenso pede tendere iam licet. Seorsim de prima propositione primo

loco agemus, quae haec est: ὁ δὲ μεσίτης οὐκ ἔστιν ἑνός. Quae quidem cum ex praecedentibus subiectum desumat atque cum eisdem per coniunctionem δὲ cohaereat, probabile est, eam arcto nexu cum praecedentibus coniunctam esse. Idem vero certius ex eo intelligitur, quod verba proxima: διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου plenum non fundant sensum, cum non pateat, cur *haec hoc loco* sint addita. Scilicet, si Paulus nude aliquem legis vsum, alium quidem, quam iustificationis indicare voluit, id planissimis verbis fecit. Cur ergo haec addidit, nisi aliquam assertionis rationem in se contineant, vel eandem illustrent. Imo vero necessarium erat, addere probationem propositioni, quam aduersarius, qui obiecit, nondum admisit. Atqui ex his verbis: διαταγεὶς δι' ἀγγέλων κ. τ. λ. ratio nondum innotescit theseos prolatae; necessario itaque venanda ex sequentibus, si illa permittant. Cum ergo subiectum propositionis sequentis ex ipsis his verbis sit desumtum; recte sane concludimus, illam ideam hic de subiecto enunciari, cuius interuentu de nexu dictorum verborum cum asserta thesi apertius constare possit. Quod si est, optimo iure supponimus, per μεσίτην haud alium intelligi v. 20. quam qui v. 19. indigitatur; suffragantibus interpretandi regulis communibus & specialibus. Regula enim est: *quando vocabulum praemissum est sine articulo, idemque repetatur cum articulo; designare id ipsum cuius est facta mentio:* auctoritate antiquiorum & exemplis confirmata a COCCEIO in Comment. ad h. l. §. 188. Iam vero v. 19. haud intelligi posse Christum, luculenter exinde constare arbitror, quoniam μεσίτης aperte satis a semine (CHRISTO) distinguitur. Illud semen cum lex daretur, nondum adfuisse dicitur, *qua tale*, & natum. Quomodo ergo praesens mediator esse potuit, in ipsa lege perferenda? Quod si iam Christo non conuenit in hoc loco praedicatum μεσίτου; cum in legis promulga-

mulgatione nemo praesens fuerit nisi DEVS, qui promulgauit legem: angeli, qui a mediatore distinguuntur: populus cui lex data est; cuius etiam mediator fuit; denique Moses: nihil iam superest, quam, vt historia sacra signum ad id tollente, Mosen mediatoris nomine insignitum credamus. Ipse ille de se affirmat Deut. V. 5. ex interpret. LXX. Int. Ἐγὼ εἱστήκειν ἀναμέσον κυρίου καὶ ἀναμέσον ὑμῶν ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ: & Leuit XXVI. 46. dicitur DEVS dedisse legem ἀναμέσον αὐτοῦ καὶ ἀναμέσον τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐν τῷ ὄρει Σινᾶ ΕΝ ΧΕΙΡΙ Μωυσῆ. Priori etiam loco officii sui rationem satis superque explanat, addens. ἀναγγεῖλαι ὑμῖν τὰ ῥήματα κυρίου, ὅτι ἐφοβήθητε ἀπὸ προσώπου τοῦ πυρὸς καὶ οὐκ ἀνέβητε εἰς τὸ ὄρος. Merus itaque internuncius fuit, non intercessor, * nisi forte typicus, quae tamen spectandi ratio huc non pertinet. Quamuis ergo ad Mosen pertineat haec appellatio; tamen vel ex ipso articuli defectu suspicamur, eum non spectari hic ceu singulus ille mediator fuit: sed sub generali χέ-

 σει

* Varias vocis μεσίτου significationes euoluit Magnif. Dom. D. PFAFFIVS Diss. supra cit. p. 34. Socianis non fauere nostram expositionem; qua merum internuntium volumus, luculenter commonstrauit GERDESIVS p. 39. 40. Quaenam enim haec esset conclusio? In loco Gal. III. 20. μεσίτης non nisi internuncium significat, eis, quae circuinstant, haud aliter permittentibus. E. in omnibus aliis locis sub diuersis circumstantiis idem obtinere, alter vero significatus notissimus *Reconciliatoris* plane exulare, ac ne de Christo quidem praedicari debet: Bene laudatus GERDESIVS: *Non argumento hoc etymologico solum a significatione vocis μεσίτου ducto proprie ac positiue nititur fides nostra sanctissima de reconciliatione nostra cum DEO per Christum, & praestita per illum satisfactione meritoria; sed illis inprimis locis, quae* εἰρηνοποιεῖν *illud,* λύτρωσιν *item, imo* λύτρον *atque* ἀντίλυτρον *redemptionis nostrae loquuntur, in quibus vbicunque vox* μεσίτου *occurrit eam nullum aliud officium, quam ex his circumstantiis determinatum hoc est, reconciliatorium & satisfactorium importare posse, per se patet.*

σει mediatoris, & ſecundum ea, quae omni mediatori ſunt communia. Subiectum ergo in noſtro textu generatim *quemlibet* μεσίτην, qua talem eſſe, ex dictis iam liquere arbitror.

§. XVIII.

Ad alteram partem propoſitionis noſtrae hinc conuertimur: Ὀυκ ἔςιν ἑνὸς. Noſtrum hic iam non eſt, vti cum ſubiecto factum, vt ſenſus omnes poſſibiles proponamus, & a remotis reliquis ad ponendum noſtrum concludamus. Hoc enim, vti fieri vix poſſet, ita ex Sect. II. quemque ibi iudicem dedimus, GERDESIO de reliquis iudicari facile poterit. Sufficit hic a nobis probari. I. Senſum, quem nos ſtatuimus, eſſe per ſe poſſibilem, quod aiunt. II. Per eundem nexum perſpici poſſe optimum atque facillimum totius Paulinae orationis. Vocem ἐις abſolute poſitam communi vſu nil aliud niſi vnitatem numericam, vnicum ens indiuiduum atque ſingulare per ſe innuere extra omne dubium eſt poſitum. Speciem vel genus, additum nomen determinat. Quale cum nullum hic offendamus peculiare; non adeſt ratio, cur aliud quam maxime illud generale ſupplendi ſenſus cauſa addamus. Copula ἐςὶ cum addita negatione, ſi ſubſtantiuum v. generatim praedicatum, ad quod pertinet in Genitiuo ſecum coniunctum habet, nihil innuit aliud, quam illud praedicatum non competere ſubiecto; atque de idea eiusdem negandum. Sic. e. g. Paulus dicit 1. Cor. XIII. 33. Ὀυκ ἔςιν ἀκαταςασίας ὁ Θεὸς: propoſitionis terminis permutatis: Quod nihil aliud vult, quam generatim de DEO omnem ἀκαταςασίαν remouendam eſſe. Quod ſi iam haec ad comma noſtrum applicemus propoſitio illa: Ὁ δε μεσίτης ὀυκ ἔςιν ἑνὸς aliud haud inuoluet; quam vnitatem numericam, eodem reſpectu, quo determinatur illa, non admittere ideam mediationis: h. e. ea non conſi-

consistere posse; respectu alicuius determinationis vnicum esse indiuiduum, cui haec competat determinatio; & tamen eodem respectu esse mediatorem, i. e. aliud, cui eadem competat, quocunque modo, repraesentare. Quod si iam clarius enunciare volueris: diceres: Nemo sui ipsius mediator esse vel dici potest. Possibilem ergo aliquem habemus sensum huius propositionis: ὁ δε μεσίτης οὐκ ἔςιν ἑνὸς: Quae, si illud innuat, quod diximus axiomatis locum tuetur. Ast, inquies, quid hoc ad rem praesentem? Intelliges, simul atque subsumsero: Quoniam ergo Moses secundum illum respectum, quo Legem pertulisse dicitur, mediator audit: non potuit secundum illum iustificare, seu veram iustitiam restituere: quod vnius est indiuidui seminis Abrahami. Non enim potuit qua mediator v. internuncius vnicum illud semen esse: quia sui ipsius mediator vel internuncius non datur. E. illa legislatio per ipsum facta aliorsum spectare debet, quam ad iustificationem.

§. XIX.

Mentem meam atque totam hanc rem vt eo melius possis perspicere, ad sequentia Te attendere cum maxime velim. Paulus v. 15. & 16. haud obscure fundamenta totius ratiocinii sui posuit, vbi benedictionem, quae iustitiae verae restitutionem inuoluit, non nisi ab vnico illo indiuiduo semine Abrahami exspectandam esse docuit; eademque opera hoc semen Christum esse indicauit: sumens id ex consensu ecclesiae antiquioris: quibus ita se habentibus; aut a Christo, aut a Mose iustificationem accipiendam ostendit ita: vt non a Mose sed a Christo, ad quem praecedaneae promissiones vnice tendunt, eam orituram praeclare moneat. Versu iam 19. vti supra vberius dictum, pro demonstratis hisce iam admissis de vsu atque auctoritate legis agere instituit; hanc tempo-

temporariam tantum fuisse asserens, duraturam, *donec veniret illud semen.* Hic iam opus, hic labor est, vt demonstretur, semen illud quod promissiones spondent nondum adfuisse, cum lex a DEO traderetur. Quod si demonstratum fuerit, per se patet, legem Sinaiticam illius mandatis Evangelicis, quae fidem vnice vrgent, cedere debuisse atque intermedii tantum rationem habuisse: cum determinate, quod aiunt, atque, specifice vnicum tantum indiuiduum, quod esset etiam σπέρμα Ἀβραάμ fuerit promissum; a quo salus hominum, atque via salutis pendere debeat. Ad probandum itaque illud, clarum est, nulla re alia opus fuisse, quam vt ostenderet Apostolus, *Mosen non fuisse semen illud*, cum alium pro tali venditare nemo vnquam fuerit ausus. De hoc autem probabile est, religionis pure Christianae hostes promissionem saltem coniunctim explicare voluisse: quam vero coniunctionem primo ipsam absurditatis Apostolus arguerat; v. 16. & iam speciatim, scopo suo conuenienter Mosi nullo modo hoc praedicatum convenire posse palam facit. Longius profecto a scopo suo aberrasset, si Mosen non fuisse mediatorem seminis illius pluribus deducere voluisset: cum, si vnicum tantum indiuiduum ad agendum aliquid NB. σπέρμα Ἀβραάμ promissum sit, quod iam supponitur, nullo modo eidem aliud σπέρμα Ἀβραάμ eodem modo substitui, adeoque internuncium eius dari non posse per se quiuis intelligat: nec probabile sit Iudaeos aut Iudaizantes ab eo Mosen absurdius commendare voluisse quod seminis promissi internuncius fuerit. Mosen autem non fuisse semen promissum, id sane breuius, atque citius perspici non potest, quam si illum eodem tempore, quo lex per ipsum data est Ioh. I. mediatoris nomen & partes gessisse, adeoque nihil sua auctoritate, nihil virtute sua, omnia nomine alieno, & vice alterius edidisse perpendatur, quod scriptura clare satis pronunciat. Hic enim, quod denuo

non

non possum, quin moneam, sollicite abstrahas velim a speciali significatu illo, quo ipsam illam benedictionis acquisitionem inuoluit, vnde Christus ipse mediator nuncupatur. Sensus iste a nostro loco plane alienus est. Ponatur iam Mosen eodem tempore, quo Israelitis legem tulit, mediatorem tantum atque internuncium fuisse. Vocetur in subsidium axioma illud, quod §. praec. commemorauimus. Mediator v. internuncius sui ipsius non datur. Hinc iam proxima infertur consequentia E. Moses, eo tempore quo legem dedit se tanquam promissum illud semen non ostendit, quia alias mediator sui ipsius fuisset. Sic iam facilis est regressus ad praecedentes theses: Ergo tum cum legem dedit, iustificationis medium hominibus non dedit atque proposuit: Nam sic fuisset semen illud promissum. Ergo lex inprimis cerimonialis alium finem habere *& cum aduentum Christi praecesserit;* ad summum nihil aliud, quam, praeparationem ad eiusdem aduentum instituere debuit: nec durare per hanc naturam suam diutius potuit, quam donec veniret semen illud promissum. Id quod Paulus demonstrandum vltimo loco sumserat. Vides iam nexum ex explicatione nostra inter verba Pauli propinquum atque facillimum: argumentum hic habes theseos, quae demonstranda erat, naturale atque vi omni fortius. Nulla praemissa opus habes, quae non in ipso textu expressis verbis comprehensa, atque ad hunc vsum seposita fuerit a Paulo. Vides, quam certe omnes propositiones a Paulo prolatae se inuoluant. Omnium fere verborum quae in textu occurrunt, atque consecutionis eorundem rationem iam perspicis: In primis cur Paulus ita expresserit mentem suam: ὁ δὲ μεσίτης οὐκ ἔστιν ΕΝΟΣ vt scilicet id quod de vnico semine demonstraverat, eo certius memoriae succurreret. Nullae hic significationes insolitae; nullae difficiles ellipses, nisi quas omni genuinae probationi, in qua simul breuitati litatur, communes nouimus. Tibi nunc iudicandum relinquimus, an hanc nostram reliquis praeferendam esse censeas. Ego vero crediderim, quod de omni hypothesi valet, vt pro vera habenda sit, si omnium phaenomenorum rationem in se contineat; idem etiam de hypothesi exegetica statuendum esse.

§. XX.

Altera propositio declaranda a nobis haec est. Ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν. Secundum §. praec. probatio Pauli absoluta iam est, nec vllo argumento ad praemissas demonstrandas opus habet quae vel antea iam probatae sunt, vel Scripturae testimonio expresso nituntur, vel axiomatum in numero habendae. Vix ergo haec, quam nunc tractamus propositio referri ad praecedentia poterit proxime. Sed & Sectio II. docuit; quaecunque Viri tentauerint doctissimi, nullum tamen inuenire potuisse nexum simplicem atque conuenientem. Nec ex eodem modo connectendi qui in propositione hac aeque ac altera obseruatur quicquam inferri potest. Imo si haec

argumentum aliquod nouum contineret propositionis ante ipsam positae: Paulus in primo membro haud scripsisset ὁ δε, sed ὁ μεν, qua particula in primo membro Graeci vtuntur, si in plura distribuitur oratio, quod iam obseruauit WESSELIVS loco supra citato. Nec quicquam in aduersum faciunt loca a GERDESIO p. 71. adducta ex 1. Cor. XI. 3. 1. Tim. VI. 6. 8. 9. 11. quae quippe hypothesi nostrae haud subiiciuntur, uti patebit inspicienti. Quae cum ita sint, nemo nobis vitio vertet, si neglecta communi interpunctione ad consequentia oculum intendamus, num forte melius cum hisce nostra cohaereant. Et ecce quam pulcher & propinquus, quin idem nexus necessarius se offert? Sequitur obiectio: Ὁ οὖν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ Θεοῦ. Ex praecedentibus huic obiectioni occasionem omnes subministratam intelligunt. In iis vero nihil aliud dixerat Paulus; quam legem & promissionem neutiquam simul iustificare, h. e. iustificationis medium offerre posse v. 18. 19. Solam inde intulit promissionem huic fini inseruire, legem, Christo adueniente abrogandam. Ex eo iam huic obiectioni ansa praeberi potuit: An lex contra promissionem sit, h. e. an sibi ea repugnent? Sed nulla vis inesset huic obiectioni ita conceptae: nam Paulus lubentissime concederet, quod antea edixit ipse. Adde iam vocem Θεοῦ, quae aeque ad νομον pertinet, quam ad ἐπαγγελίας. Sic demun vim argumenti satis speciosi perspicies. Id enim sibi vult: Si DEVS dedit legem, idemque promissionis auctor est, quomodo lex & promissio repugnare sibi inuicem possunt, vt posito vno tolli alterum necesse sit? DEVS non potest repugnantia mandare aut eloqui. Cur? *quia vnus est* essentia, quae voluntatem vnicam atque immutabilem ponit. Viden ergo, vnde sua obiectioni sequenti vis constet? Haud profecto aliunde, quam quod cum vnitate DEI vix conciliari posse videtur, si, quae sanxit ipse, vt legem, aliunde, a promissione, tollerentur. Quae cum ita sint, haud cespitantes, mutata interpunctione, ad priorem propositionem: ὁ δε μεσίτης ὀυκ ἔςιν ἑνὸς punctum reponimus, qua totus absoluitur sensus, tota probatio. Sed ad indicandum nexum propiorem alterius cum insequenti propositione, colon interponimus, sequentem in modum. Ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐςιν· Ὁ οὖν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ Θεοῦ; Quo facto prior illa vel sola versum 20. constitueret; vel si ad eum, qui vulgari ordine 19. numeratur, referre malueris, versuum numerus minueretur. Sic vero omnia plana erunt, & verba nostra non alium habebunt sensum, quam quem omnes clamant, omnes intelligunt. Cum ergo haec interpretatio nostra nexum immediatum eumque facillimum ac necessarium ostendat; atque hinc antecedentibus, quae vocant, aeque ac consequen-

quentibus optime conueniat, communem significatum retineat: nemo tam morosus erit, vt, cum facta mutatio licite institui potuerit, criminis loco habeat, quod has potius sequi partes voluimus, quam alias.

§. XXI.

Nihil iam superest, quam vt v. 20. aeque ac Sect. I. v. 19. breui illustremus paraphrasi. Pergit itaque Paulus: Haud frustra dixi, legem tantum per internuncium Mosen latam fuisse. Namque ex hoc ipso perspicitis, Mosen non esse semen illud vnicum. Sic enim internuncius esset sui ipsius. Quod fieri nequit. Exinde vero, si ad prius dicta referre volueritis, facillima cognoscitis opera, quod, si Moses tradendo legem iustitiam non restituit, recte vobis vsum legis paedagogicum commendauerim, eumque solum; quoniam, si lex non iustificat, per naturam suam finem alium, admittere haud potest. Quapropter etiam *sub ea* PRAECISE σχέσει, qua vobis perlata est in monte Sinai, aduentante Christo, cessare debet. Nemo vero mihi obiiciat, quoniam lex est a DEO, & promissio est a DEO, hae vero inuicem tollunt atque repugnant: DEVM ex mea sententia contraria statuisse, nec in verbis in edictis atque promissis suis sibi semper constare. (Absit blasphemia dicto) Hoc sane vnitati DEI repugnaret. Namque, (vti in consequentibus demonstrat Paulus, quae eadem opera paucis saltem tangimus) hoc ex vestra tantum sententia sequitur, qui legi viuificantem tribuitis virtutem. Non repugnant lex atque promissio, nisi *in tertio*, quod vocant, *iustificationis*. DEVS vero neutiquam eo fine vnquam vobis legem dedit, vt exinde iustitiam, quae coram ipso valeat, quaeratis. (v. 21.) quin potius aperte satis omnes in scriptura homines peccati atque hinc damnationis reos pronunciauit; non nisi Christi sanguine expiandos. (v. 22.) Legem vero Sinaiticam propter moram eiusdem Messiae addidit, vt suo modo ad fidem ex Euangelio N. T. penitus recipiendam praepareret. (v. 23. 24.) per quam solam obtingit iustificatio. Quo ipso patet cum illo legis fine ipsam etiam legem ad aduentum Christi exspirare debuisse, nosque ab illius iugo liberandos: quin potius in libertatem filiorum DEI restituendos fuisse (v. 25. 26.) Hinc iam, sublato legis iugo, inprimis caerimonialis quae erat μεσότοιχον inter Iudaeos & Gentes; iam, inquam, sine vllo discrimine gentis, sexus, aetatis, status, omnes eiusdem in Christo felicitatis sine lege participes fiunt, atque per eundem solum iustificantur, per eundem solum aeternae vitae spem habent; quem quippe in baptismo induerunt (v. 27. 28.) Quicunque enim in Christum credunt, cum eo vnum sunt (v. 28.) Qui, cum sit semen Abrahae, etiam illi (v. 29.) pro semine Abrahami reputandi sunt: cui qnidem κληρονομία promissa est: illi quidem secundum carnem terrestris; spirituali vero spiritualis; quae est coelestis Hierosolymae, vitae aeternae.

FINIS.

COROLLA

I. Logica naturalis est in
veritatis cognitionem
II. Non complete DV H
determinatricem; in
III. Eadem libertas hau
IIII. Existentia DEI a
V. Consensus omnium p
certissimae minus tu
nem recte vrgeri pote

NOBILISSIMO

DOMINO

FAVTORI SVO ATQ

NOn possum, Fautor
tesseram adiiciam:
lim, quibus me im
de meo erga TE constant
mum TEcum esse licuit,
res, quorum constans p
quoddam decus efficiunt.
tius rerum optimarum, s
fundius haustam acquirer
animo TIBI eo magis gra
dem facis; nihil tam laud
Macte iam virtute esto,
deerunt praemia: & qui
amicorum copia, quos vi
imposterum Numen supr
clesiae vtilitati, Patriaeq
gant. Quod restat, VNI
cognoscendi atque amand
verae felicitatis spes vnice

❧)o(❧

...OLLARIA PHILOSOPHICA.

...lis est insufficiens ad acquirendam certam & solidam ...gnitionem.

...e DV HAMEL libertatem definit per vim sui ipsius ...icem; interim tamen est character illius verus.

...rtas haud prorsus accurate facultas vocatur.

... DEI a priori ex idea ipsius rite demonstrari potest.

...mnium populorum existentiae DEI, veritatis alias ...minus tutum est argumentum. In alium tamen fi...rgeri potest.

...SSIMO ATQVE DOCTISSIMO

...INO RESPONDENTI

...VO ATQVE AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

..., Fautor aestumatissime, quin hanc TIBI amicitiae ...adiiciam: non vt laudum Tuarum studiosus videri ve...bus me imparem bene sentio; sed vt habeas, ex quo ... constanti affectu iudicare possis. Sane, cum pri...sse licuit, mirum in modum adfecerunt ingenui mo...onstans probitas doctrinae politiori iuncta singulare ...efficiunt. Hoc eo certius assecutus es, quo diligen...narum, sacrarum inprimis scientiam eandemque pro... acquirere TIBI studuisti. Hos egregios conatus ex ...magis gratulor, quo magis iam publicam omnibus fi... tam laudabile esse, quod a TE sperare non liceat. ...te esto, Amice suauissime. Nunquam digna eadem ...: & qui TIBI ab omnibus necessariis orbatus videris, ..., quos virtus parat, affatim recreaberis. Adsit TIBI ...men supremum, TVISque rebus ita adspiret, vt Ec... Patriaeque ornamento TE datum esse cuncti intelli...stat, VNIVS illius, a quo omnis nostra salus pendet, ...que amandi studio flagrare nunquam desinemus. Sic ...spes vnice confirmatur. Vale, mihique fauere perge.

❧ (o) ❧